Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26468
Copyright: Admont, Benediktinerstift

si post lauacrum regenerationis iam sancti non possent mortem perpeti corporalem. Cum paruulis autem babtizandis quis non ad Christi gratiam propterea pocius curreret ne a corpore soluerentur. atque ita non inuisibili premio probaretur fides. Sed iam nec fides esset contestum sui operis querendo et sumendo mercedem. Nunc uero maiori mirabiliorique gratia saluatoris. in usus iusticie peccati pena conuersa est. De hoc quoque ita Iulianus Pomerius ait. Ideo regenerati hinc ad eternam beatitudinem transire sine carnis morte non possunt. quia non presentis uite est sed future. omne bonum. quod in eis sacramenta quibus regenerantur efficiunt. et itaque si spe salui fiunt quicumque saluantur. et spes non temporalis uite est sed eterne. non spe aliqua saluarentur in Christo renati si non ad eternam beatitudinem consequentia que non uidetur eum militat spes. sed propter hanc uisibilem uitam sine termino possidendam. uiderentur uelle in Christo renasci. atque ita nec fideles essent in quibus nulla esset inuisibilium fides. et ad bona inuisibilia promerenda. tepidi redderent uite huius temporis amatores.

8

29